



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetæ Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XLIX. Audite hæc omnes gentes, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Tota sit illorum posteritasq; memor.
Ne gentes quarant alios, noua numina, Diuos,
Sed metuant solum hunc, ritè colantq; Deum.
Qui sine principio, sine fine manebit in aeuum,
Qui nos per uita tempora cuncta fouet.*

PSALMVS XLIX.

Audite hæc omnes gentes, &c.

*A*uribus attentis estote & mentibus omnes,
Quotquot ubiq; homines vastus hic orbis ha-
Sine sit obscurus media de plebe oriundus, (bet.
Sine alios sceptro præcipiente regat.
Seu sit pauperie pressus, seu latus habendo,
Quotquot terrarum climata cuncta tenent.
Eloquar ore meo, quæ sit sapientia uera,
Quæ profint aliis, mente docebo pia.
Sermonem egregium & prouerbia pura locutus,
Dulce melos cithara leta sonante canam.
Cur metuam nimbos reproborum acresq; procellas,
Cum me obtreçtatrix ledere lingua studet?
Qui sibi spem ponunt in rebus mox perituris,
Qui sibi diuitias constituere Deum.
Anxius hic labor est, & deuius error habendi,

Inde etenim vita commoda nulla ferunt.
Nam tibi seu frater seu sit redimendus amicus,
Non potes his precio conciliare Deum.
Ardua res pro anima est morituri solvere lytron,
Non quenquam rediment vlla caduca bona.
Quantumuis seros vitam producat in annos,
Et mortis speret spicula abesse procul.
Una terenda via est stolido simul & sapienti,
Omnibus ad mortem ianua & una patet.
Tunc & opes aliis, quas collegere, relinquent:
Forsitan his, hostes quos habuere prius.
Horum delicia votumq; & summa voluptas,
Perpetuo stabiles posse habitare domos.
At sint leta diu, sint firma palatia eorum,
Gloriaq; in terris magna sit, atq; vigens:
Non tamen hic omni durabit tempore splendor,
Sed veluti pecudes mors abolebit eos.
Hoc studium ipsorum, labor, ac vesania vana est,
At tamen applaudit posteritasq; fauet.
Sicut oves stabulis maectanda abduuntur opacis:
Sic istos Orci limina caeca tenent.
Mors etiam tales sine fine arrodit auara,
At pius hos, sceptro praedominante, premet.

Sic ho

*Sic horum fastus citò & effera corda peribunt,
Mergetur stygiis gloriaq; omnis aquis.
Ast Deus hanc animam vinculis dissoluet auerni,
Me siquidem & causam suscipit ipse meam.
Ne moue are, opibus si quis ditescat opimis,
Fulgeat & splendor, gloria & alta domus.
Aurea nulla etenim morientes vasa sequuntur,
Nec comitabuntur gloria, laus & honor.
His quia deliciis viuentes cum fruerentur,
Omnibus hac visa est vita beata modis.
Sic patrum insani vestigia cæca sequuntur,
Nec veræ laudis lumina clara vident.
Vsq; adeò verum est: Homo laude et honoribus au-
Cui mens non sana est & pietatis eget: (ctus,
Hic pecori similis, terrena hæc regna relinquit,
Non illum nomen nec bona fama manet.*

PSALMVS L.

Deus Deorum Dominus, &c.

Conuocat Omnipotens hominum genus omne
tremenda

Voce Pater, mundi partes Deus aduocat omnes,
Solis ad occasum vox fertur Solis abortu

N 3

Maiestas